

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1582.

PARS QUINTA.

653

triaz tuæ Academiæ & ecclesiæ statu ea, quæ maximè vellem, me docebant. Quid impetratà à Judicio Camerae literas Compulsoriales in causa Sturmii secutum sit? & quæ Genevensis Tragœdiæ catastrophæ fuerit? cognoscere cupio. Davidem Razium etiam, ut scribat, monebis. Mitto propositiones hic disputatas, quæ, quicquid in Aula Danica benevolentia mihi reliquum fuit, sustulerunt. Benè vale. Rostochii, pridie Laurentii, Anno 1582.

David Chytræus.



L

*Reverende & clarissime Domine Compater.*

ET si postremis tuis literis respondisse me ante aliquot hebdomadas arbitror, tamen proficiscenti isthuc civi nostro, rectà huc redituro, epistolion dedi, ut studium tibi meum probarem, ut de tua ac Parentis valetudine, & utriusque Academiæ statu, ea, quæ scire amico licet, cognoscerem. Hæc argumentum Antipappi quarti, in libros quinque distincti, Danus quidam, ex patria tua revertens, mihi narravit. Utinam magistratus autoritate concludi tandem & sopiri Tragœdia illa tristiss. possit. Quod ad nepotem ex sorore meum attinet, secutus consilium tuum, scripsi ad Senatum ecclesiasticum, ac literas ad te mitto, tuoq; arbitrio permitto, an ipse eas exhibere & responsum urgere? an vero D. Cisnero molestiam illam imponere velis? Quem non gravatè gratificaturum mihi esse spero. Achilles opinor, interrogatus ab Aiace, quos sustinuisset in vita labores, omnium gravissimos simul & jucundissimos? respondit. Pro Amicis susceptos. Quare te quoq; confido, Amici causa in hoc negotio aliquid laboris suscepturum esse. Benè vale. Pridie Cal. Septembr.

David Chytræus.

LI.

*Salutem à Filio DEI. Reverende & clarissime vir, collega & compater honorande.*

Veni Laureacum & placet locus propter solitudinem & sylvarum densitatem. Quod felix & faustum sit, in nomine altissimi incipiam resurrationem demandatam. T. dignitas per occasionem me monebit, num 18. Septembr. promotioni destinatus maneat, vel an promotio in alium diem rejecta sit, ut tempestivè ad vos redire

Nnnn 3

dicte

dire liceat. Significabis item, quomodo inter Decanos convenerit, quod ad distributionem horarū in ipsa promotione attinet & quomodo quælibet fieri debeant, ut & ego rectius de mea oratione deliberare possim. Quod & antihæses orthodoxi consensus ad Aug. attinet, propter DEUM rogo, ne manum de tabula, antequam absolveris, ut in his nundinis prodeat. Salutem ascribo M. Hadungo. Bene in Domino vale, & pro me ora. 4. Septemb. in Lauvvacensi eremo 82.

R. d. t.

Deditiss.

Timotheus Kirchnerus.

Si R. d. t. frater dilectiss. Dn. D. Erasmus ad te veniet, quaeso eum meis verbis honorifice salutare digneris, respondebo ei, quam primum per negotia licuerit. Apud Magn. Rectorem & Collegas me submisso excusabis.



LII.

*Gratiam & pacem à DEO patre, & filio ejus, Domino nostro JESU Christo, in communicatione Spiritus S. Amen.*

**R**everendi & clarissimi viri. Necessitate cogente à proceribus Styriæ & consociatarum provinciarum huc ad comitia missus sum, ut protestantium ordinum & civitatum Aug. Confess. Theologis, aliisque legatis doctrinam & statum Ecclesiarum suarum exponerem, quo sic aditus sibi fieret ad vestras Ecclesias & earum tutores, si quando posthac consilio & auxilio eorum opus foret. Quia verò serius veni, nec præter unum & alterum ex peregrinis Theologis hic convenire potui, illis tantum, qui Augustanam Ecclesiam docent, ea, quæ in mandatis habui, fideliter exposui, obtestatus, ut mihi hujus præstitæ fidei testes esse dignarentur. Placuit autem postea & Legatis provinciarum politicis & aliis præclaris, qui in consilium adhibiti sunt, viris, ut summa orationis ad Theologos Augustanæ civitatis habitæ in literas relata, ad illustrissimum quorundam principum consistoria Theologorumque collegia per legatos eorum, qui in comitiis versantur, mitteretur, quò sic facilius doctrinæ & Confessionis nostræ sinceritas universali Ecclesiæ innotesceret, nosque vestris & aliorum piorum precibus ad DEUM & aliis beneficiis digni cognosceremur. Cum igitur vestrum collegium in primis in hoc consilio nominatum esset, Illustrissimi principis vestri legatis mihi injuncta exposui, eisque paulò ante factum scriptum, cum exem-